

Franckesche Stiftungen zu Halle

Disputationum Theologicarum De Peste Secunda

Lysius, Heinrich

Regiomonti, [1710?]

VD18 90816366

Sectio Tertia. De dubiis quibusdam circa pestis naturam & causas.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-200302

SECTIO TERTIA.

De dubiis quibusdam circa pestis naturam & causas.

Observatis iis, quæ circa pestis naturam & causas sacra Scriptura annotavit, restat, ut resolvamus adhuc dubia quædam, circa hanc materiam occurrentia.

DUBIUM I.

An DEus eodem modo se habeat in peste, quo in aliis morbis?

§. I.

Circa hanc materiam observandum credimus 1. DEum variis modis sese gerere, non solum in variis, sed etiam in iisdem sapissime morbis. Multi enim morbi ab hominibus, DEo quasi invito, & solummodo permittente, contrahuntur. Quod in venereis, edacibus, bibacibus, audacibusq; hominibus patet; quippe qui mortem manibus & operibus sibi accersunt, & amicum arbitantes, contabescunt. Sapient. 1. v. 16. Alii contra justo DEI iudicio immittuntur hominibus, in vindictam scelerum, eâ ratione, ut respectu morbi & mortis passive sese habeant homines, nil eo, quem supra observavimus, modo contribuentes ad supplicium, ab ipsis sumendum. Quod videre est in Ægyptiis Exod. 9. v. 10, 11., Philistæis 1. Sam. 5. v. 6. seqq., Herode Act. 12. v. 23, aliisque quam plurimis. Si verum est, contagiosam fuisse lepram, aliter sane DEus se habuit in eodem ipso morbo, respectu eorum,

E

rum,

rum, qui sua forsan imprudentia istum morbum sibi contraxere per contactum & consortium nimis familiare cum ægrotis; aliter respectu Mirjam Num. 12. v. 10. 11. Uliæ 2. Paral. 26. v. 19. seqq. Gehazi 2. Reg. 5. v. 27.

§. II.

Observandum (2.) Aliam rationem esse morborum epidemicorum, eorundemque respectu totius populi, aliam morborum vulgarium, & epidemicorum respectu hominum singulorum. Quemadmodum enim & hos DEus non solummodo permittit, sed & dirigit, imo sapissime decernit: sic in illis judiciaria ista DEi dispositio tanto patescit clarius, quanto manifestius in iis causæ quoque intermediæ physicae à solo DEi nutu dependent.

§. III.

Statuendum igitur censemus: DEum, præcipuè ratione hominum singulorum, in peste eodem quidem modo etiam se habere, quo in aliis morbis, ut quædam solummodo permittat, quæ proprie non intendit, eadem tamen dirigat in suam gloriam, bonorum æternam salutem, malorum autem supplicium; insimul autem, præcipue ratione populi, aut regionis, specialiori quodam modo decernere, media ordinare, modumque statuere, ut ipsius decreti executio nulla humana prudentia vel arte evitari vel retardari possit.

§. IV.

Urgent hoc non solummodo supra in disputatione prima allegata loca sacrae Scripturae, in quibus DEus, nullo respectu habito ad constellationes planetarum astrorumque, vel ad tempestates futuras, vel ad cacoehymiam corporum humanorum, vel ad aliam morborum naturalem causam, ob PECCATA pestem immittere dicitur; sed & ipsa celeberrimorum Medicorum testimonia.

§. V.

§. V.

Athanasius Kircherus in Scrutinio Physico-Medico Pestis Sect. 1. cap. 3. duplicem quidem pestem, *divinam & naturalem*, statuere videtur in marginalibus. Verum, si contextum ipsum contuleris cum iis, quæ cap. 1. ab ipso dicta sunt, facile apparet, non statuere eum pestem, quæ ex causis mere naturalibus existat, atque exinde naturalis dicenda sit; sed eum pestem divinam nominare, quæ quasi immediate, vel saltem sine intermediis causis ordinariis naturalibus à DEO immittitur; contra pestem naturalem, quæ ab eodem Deo, mediantibus causis physicis, à creatore in hunc effectum specialiter definitis, producit. Hæc enim habet sect. 1. cap. 1. *Quamvis enim DEUS Optimus Max. sola voluntate sua, aut angelorum ministerio, eam, quam olim Davidis tempore edidisse, sacra oracula nos docent, mortalium stragem, cum lubuerit, edere possit; ut plurimum tamen hoc tempore secundarum concursu causarum utitur, dum epidemicis huiusmodi calamitatibus premit orbem terrarum. Et dum vel insensatam naturam in ultionem sui animat, juxta illud, & pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Certum est, huiusmodi plagas naturalibus causis non carere, quæ, veluti divinæ justitiæ ministræ, contra humanum genus insurgunt atque deserviunt. Unde & idem caput hoc rubro notavit: Pestis est flagellum & sagitta DEI, ob peccata hominibus immissa. Quæ sane pronunciata satis superque evincunt, curiosissimum hunc naturæ scrutatorem merè naturalem morbum nullam pestem statuisse, sed divinæ in ea producenda operationis prærogativam intime agnovisse.*

§. VI.

Magis tamen perspicue nostræ sententiæ subscribit Isbrandus de Diemberok Lib. 1. de Peste cap. 8. de pestilentia causis, *Omnis*, inquit, *vera pestis tres habet causas, qua-*

A 2

rum

rum secunda à primâ, tertia à secundâ descendit. Prima & primaria causa est justissima summi DEi ira, quam turpissima ac terribilissima exhalationes è stagnis fœdisque peccatorum nostrorum cloacis sursum elata provocarunt. Ab hac causâ promanat illud τὸ θεῶν, quod pesti inesse animadvertitur, cujus etiam Hippocrates sæpè mentionem facit. Quibus annotat. 1., postquam pauca, de Medicorum opinionibus circa pestilentiae causas præmisit, adjungit: Quas omnes opiniones Paracelsista simul colligentes, quinque pestis causas, & ab aliis quinque ejusdem differentias statuunt, dicentes: pestem causari, 1. ab ente Deali, cum solo DEi nutu inducitur ad coercenda hominum flagitia. 2. ab ente astrali, cum à maleficis siderum aspectibus, configurationibus, conjunctionibus & oppositionibus causatur. 3. ab ente magico, cum veneficorum & incantatorum opera provocatur. 4. ab ente veneni, cum per inspirationem aeris venenati generatur. 5. ab ente natura, cum oritur ex internâ malignâ humorum putredine. Harum quinque causarum nonnulli secundam & tertiam rejiciunt, & quartam cum quinta conjungunt, atque ita duas tantum pestes agnoscunt, unam ab ente Deali, alteram ab ente natura. NOS VERO ETIAM NULLAM AB ENTE NATURÆ PESTIS CAUSAM AGNOSCIMUS, SED A SOLO ENTE DEALI OMNEM PESTEM CAUSARI DICIMUS, ET JAM LATIUS DOCEBIMUS. Id quod etiam in consequentibus ex promisso præstat, thesin suam probans non solum ex sacra Scriptura, sed etiam ex ipsis Ethnicorum Philosophorum sententiis.

§. VII.

Confirmant hoc expressa judiciorum divinatorum vestigia, quæ in pestium historiis passim deprehendimus. Multorum locum supplebit exemplum, quod in Eusebio H. E. lib. 9. cap. 7. legimus, ubi de Maximino narrat; quod in speciali Rescripto gloriatus sit de Deorum suorum erga se suasque regiones benevolentia, qua pestem cum omnibus aliis terrarum

rum

39
rum plagis à suis ditionibus removissent, idque ideò, quod
constans in sua idololatria, Christianos omni supplicio affe-
cisset. Verum, pergit Eusebius, quum jam prope plurimorum
spes veluti mortua esset, confestim, dum adhuc in itinere sunt, qui
dicti jam Rescripti, adversum nos vulgandi, in quibusdam locis
erant administri, ecclesie sue propugnator DEUS, tantum non obiu-
rans tyranni contra nos insolentiam, caeleste suum pro nobis auxi-
lium ostendit. Nam imbres ac pluvie, hyemali existente tempe-
state, consuetum irriganda telluris fluxum remiserunt, irruitque
fames inopina, & hanc consecuta pestis, & morbi cujusdam insi-
ectio, qui, ulcus existens, propter fervorem carbo vocatur. Hic
per totum quidem corpus serpens dubio periculo occupatos involve-
bat, verum præcipue circa oculos insiectus, innumeros viros, unà
cum mulieribus ac pueris excæcabat. Præterea bellum tyranno
contra Armenios exsurgit. --- Hec omnia, subito uno eodemque
tempore concurrentia, jactantiam tyrannica contra DEUM contu-
macia redarguerunt, qua propterea nec famem, nec pestem, nec
bellum, suis evenire temporibus, gloriatus fuerat, quod & simula-
cra studiose coleret, & nos expugnaret. Quis adeò ab omni
mente alienus reperiri poterit, qui non specialem atque extra-
ordinariam DEI circa hanc pestem operationem persentiscat.
Dubii secundi §. 20. idem satis luculenter evincit. Nec dubito,
de omnibus idem constiturum, si omnes nobis rerum gesta-
rum circumstantiæ constarent.

DUBIUM II.

An pestis sit, recteque dicatur morbus contagiosus.

§. I.

Affirmativam tueri videtur tum historia antiqua, tum
experientia quotidiana, tum plurimorum & Medicorum &
Philo.

Philosophorum consensus. Livius Decade 3. lib. 5. hæc habet: *Primo temporis ac loci vitio & egri erant, & moriebantur. Postea curatio ipsa, & contactus egrorum vulgabat morbos: ut aut neglecti desertique, qui incidissent, morerentur, aut assidentes curantesq; eadem vi morbi repletos secum traherent.* Quæ quidem Ethnici sententia eum in modum etiam apud Christianam gentem, his præcipuè temporibus, obtinuit, ut, de veritate ejusdem dubitare, paradoxum multis videri possit.

§. II.

Accedit, quod nec à religione Christiana alienum sit judicandum, credere, quod Deus contagiosa vitia per contagiosos morbos puniat, eandemq; poenæ, quæ culpæ fuit, statuatur propagationem.

§. III.

Interim contrariari quoq; huic sententiæ videtur i. sacra Scriptura, ex qua supra demonstravimus, quod non contagioni, sed iustitiae Angeli Domini mors intereuntium in peste ascribatur.

§. IV.

2. Tum historia antiqua repugnat, tum moderna experientia. Evagrius Lib. 4. H. E. cap. 28. sequentem quidem in modum de peste sui temporis, quæ per quinquaginta duos annos duravit, scribit: *Quod autem ad rationem morbi contrahendi attinet, ea sane tam varia fuit, ut nulla possit oratione explicari. Nam alii solum unà versando, pariterq; vitam degendo, fuere infecti: Alii tangendo duntaxat, & in eandem domum ingrediendo: Alii in foro: Non pauci, qui ex urbibus, contagione infectis, fugientes, integri manebant, sanis & valentibus morbum impertierunt. Verum, num ista narrata multiplicatio per contactum sit facta, dubitandi occasionem idem ipse Autor in sequentibus suppeditat, dum pergit: Alii, qui cum egrotantibus*

bus

bus versabantur, & non modo agros, sed etiam mortuos attingebant, non omnino in morbum inciderunt: Alii, quibus tametsi propter liberorum aut necessariorum interitum in optatis fuit morte occumbere, & maxime ob hanc causam se agrotantibus admiscuere; tamen perinde ac si morbus eorum adversaretur voluntati, neutiquam eo occupati sunt. Idem confirmat, quod antecedit in eodem capite: Non raro licebat videre in civitate, morbo illo laborante, quasdam familias prorsus extinctas: interdum, verò, una & altera familia interempta, reliquam urbem integram incolumemq; mansisse. Quin etiam familia, quæ integræ manserunt, sicuti accurata observatione comperimus, SEQUENTI ANNO SOLÆ morbo vexabantur. Atq; quod est omnium maximè mirandum, si qui forte, urbes infectas incolentes, ad alia loca, quæ morbus minimè invaserat, demigrarent, ILLI SOLI morbo opprimebantur, licet ex civitatibus infectis ad alias integras se, quo vita consulerent, transtulissent.

§. V.

Quot in novissima peste conservati sint intacti atque incolumes ex iis, qui tam agrotos, quam funera curaverunt, omnium constat notitia. Præcipue autem de prædicanda est ista divina benignitas & providentia, qua fideles verbi sui ministros, sibi non parentes, sed omnes, ad quos vocati sunt, sine discrimine visitantes, singulari quadam tutela conservavit, ut si qui, tamen paucissimi (quemadmodum enim una hirundo non facit ver, ita quoque nihil derogat clementiæ divinæ, si unicum fidum ministrum simul, officio piè administrato, & vita defungi siverit, ingratosque homines docuerit, indignos ipsos DEi viro fuisse) ejus generis virorum interierint. Cum contra non desint exempla eorum, qui intempestivo timore sibi satis curiose præcavescentes, vel virgæ vel gladio divino effugere non potuerint.

B

§. VI.

§. VI.

Piis hisce exemplis eorum, qui in officiis vocationis à DEO conservati sunt, ut nulla pestis contagio ipsis nocuerit, adjungam aliud, minus quidem pium, non autem minus huc faciens, foeminae scilicet, quæ in lectum mariti, nuper peste defuncti, decubuit, & per omne insequens tempus quavis nocte dormivit, sub spe mortis impia ratione sibi adsciscendæ, nihilo tamen minus neque morbum aliquem, neque mortem exinde experta est. Quæ aliaque exempla saltem hoc evincunt, quod non per se, vel necessario, pestis per contactum, vel consortium propagetur. Taceo, quod incredibile sit, Turcas, eosque sanioris mentis, per tot secula retinere potuisse suam de contagione pestis sententiam, si morbus ipsis quasi familiaris experientia doceret, plures per contagionem infici, quam illæfos servari.

§. VII.

Firmissimum adhuc contra naturalem & necessariam per contactum pestis propagationem argumentum depromitur à collatione initii atque finis pestis, in urbe aliqua grassantis. Cum enim in initio tanta contagii, uti creditur, vis sit, ut, postquam unus vel alter peste correptus est, nullo hominum, satis anxie remedia quærentium, consilio resisti queat: Quæ, quæso, spes salutis foret, vel urbi, vel regioni? postquam tot millia non solum hominum, sed familiarum quoque jam infecta sunt. Contra quod omnis historia evincit, nullam pestem sine caruisse, sed post incrementa sat valida, tandem desisse, idque non solummodo in iis regionibus, in quibus varia contra eam remedia, cura publica, adhibentur, verum in ipsa etiam Turcia, ubi comodo, ob principia religionis, non resistitur,

§. VIII.

§. VIII.

Evictum igitur credimus; pestem non posse dici contagiosam simpliciter, & eo sensu, ac si ordinaria, insita, & naturali vi semper inficeret omnes satis appropinquantes, quemadmodum ignis calefacit, aut aqua madefacit, sed eam, in quantum illud nominis ferre potest, talem esse dicendam secundum quid, seu quatenus aliud quoddam præsupponit, simul necessarium, sine quo nulla contagione nocet.

§. IX.

Sic enim omne illud, ad cuius contactum, vel in cuius consortio, homines vel morbo corripuntur, vel moriuntur, contagioso veneno infectum credendum est, nil magis contagiosum unquam fuit, quam arca foederis Veteris Testamenti, ad cuius præsentiam non Philistæorum solummodo 1. Sam. 5., sed & Bethsamitarum, cap. 6., magnus numerus interibat. Sane, si modernorum Naturalistarum quidam adfuissent tum temporis, magno supercilio sprevisset Philistæorum consilium, cap. 6. v. 9., & vel arcam combussissent, vel suffumigio venenum corrigere studuissent. Huc quoque pertinet mors repentina Ulsæ, ex contactu arcæ contracta, 2. Sam. 6. v. 7. Conf. exemplum Regis Ulsæ 2. Chron. 26. v. 16. Terribile etiam ex hoc principio venenum fuisset in pallio Achannis, Jos. 7., ex quo tam terrificæ exhalatio exstitisset, quæ omnium Israelitarum animos tanto pavore perculisset, ut resistere hostibus, antea contemptis, non valuerint.

§. X.

Restat igitur, ut inquiramus, quodnam tandem illud sit, quod efficit, ut morbus pestilens aliorum, aliis per consortium communicetur, ab aliis autem, eadem familiaritate conversantibus, arceatur. Ad quod investigandum illi, qui summam ducunt scientiam, naturæ omnia, minima, quæ fi-

eri possunt, DEO adscribere, tot vere viis ingrediuntur, quot pedibus utuntur. Celeberrimi tamen eorum, qui mihi innotuere, refugiunt ad hæc duo: 1. imaginationem pavidam, 2. Cacochymiam, vel dispositionem præternaturalem corporis. Quâ de re legi meretur tum supra laudatus Pater Societ. Jesu in Scrutinio Pestis sect. 2. cap. 1. & seqq., tum à Kircherro magnis laudibus ornatus, quamvis non in omnibus approbatus, Johannes Baptista Helmontius in Tumulo Pestis.

§. XI.

Ad imaginationem quod attinet, magicum videtur, activam facultatem nimis efficacem imaginationi tribuere. Quamvis enim mira sapissime de ea & legantur & audiantur, tamen vel legitimo experimento destituuntur, vel valde suspecta sunt, an Phantasma Diabolicum Phantasia humanam illuserit. Si etiam concederetur, in peste illam tantum pollere, quantum ab ipsius deprædicatoribus ipsi tribuitur, sequeretur etiam, ipsius virtute activa pestem ab homine arceri posse. Quod si verum esset, peccarent sane omnes Medici, quod sumptuosa præscriberent medicamenta, cum infuso quodam, sine obuli jactura, idem effici posset. Quod si autem passiva solummodo facultas hic intelligenda foret, nihil istius denominatione responsum esset, quoniam idem adhuc disquirendum restaret, de quo antea quæsitum fuerat, sc. quamnam, & cujusnam sit ista activa facultas, à quâ tam diversi effectus in unis subjectis, per una objecta procreantur.

§. XII.

Quæ de constitutione corporum dicuntur, vix in peste locum habent, nedum magni momenti sunt. Primò enim Christophorus Helvigius, Professor Gryphiswaldensis, in Consilio de Peste 1683. edito, per sedecim paginas tot enumerat corporis aggritudines, quibus sese pestis, secundum addi-
ta

ta celeberrimorum Medicorum testimonia, jungere solet, ut inter aliquot hominum millia vix unus vel alter ab omnibus omni modo liber credi possit. Secundò, verum repertum iri, credo, de omnibus pestibus, quod de Noviomageni scribit Diemerbrokiius lib. 1. cap. 4. *Pestis hæc nihil sexum, nihil temperamenta curabat, non humorum sinceritatem, non eorundem corruptionem: laudabiles humores eandem non impediebant, & propter vitiosos citius non invadebat. Corpora cacochyma sæpe intacta relinquens, optime temperata insciebat.*

§. XIII.

Aliud igitur QUID quærendum, secundum quod pestis contagiosa vel est, vel non est. Quod iustissimam DEi voluntatem statuimus, a cuius determinatione unice dependet, quinam per contagionem, quinam sine contagione peste sint corripiendi, quinam autem in contactu & consortio cum infectis, vel quotidiano, vel improvise, incolumes sint conservandi. Consentientem in eo habemus sacram Scripturam, mortem peste intereuntium non derivantem à contactu ægrorum, sed à contactu gladii Angeli Domini, quemadmodum Disputatione prima demonstravimus.

§. XIV.

Consentientem habemus quoque experientissimum in peste Diemerbrokium, qui lib. 1. de Peste cap. 8. annot. 1. probl. 1. *Si pestis, inquit, à contagio semper excitaretur, fieret vel à contagio in aëre herente, vel in fomite latente. Non ab illo, quia venti & radii solares aëris squalores purificant, & continuo expurgant, ac inquinamenta absumunt, ita ut noxia illa & contagiosa miasmata longo tempore in aëre conservari, multo minus integris viribus (licet forte ad propinqua) ad longinqua loca, deferri nequeant. Non ab hoc, quia, si pestis causaretur à solo fomite asservato, necessario, si urbem vel regionem aliquam invade-*

ret, ibi perpetuam sedem figeret; nam in constitutione pestilenti, semper innumeri fomites in aedibus infectis asservantur, qui, peste rursus cessante, quotidie huc illuc commoventur & excutiuntur, vel sine, vel cum valde exigua noxa. Si autem ex tali fomite nova pestis epidemia generaretur in locis illis semel infectis, duraret malum in perpetuum. Uti tandem concludamus, nos quidem concedere, aliquam pestem interdum à contagio, sive per aerem, sive per fomitem illato, causari, sed rarius: ut plurimum autem DEam absolutam suam potestate, non concurrente natura, eandem præternaturaliter immittere.

§. XV.

Consentientem habemus sanam rationem in omnibus & singulis exemplis eorum, quotquot peste per contagium esse infectos, vel legimus vel audivimus. Sanam, inquam, rationem: Non enim sanam eam credimus rationem, quæ in natura rerum creatarum explicanda, opificis conservantis & dirigentis, in corpore vivo animæ, in mundo DEI Angelorumque obliviscitur.

§. XVI.

Dominus Doctor Wiel Loimiater Thorunensis in wohlgemeinter Nachricht von der Pestilenz zu Thorn pag. 50. refert: Monasterium quoddam ex adversa Vistulæ ripa hoc modò infectum peste esse; ut Monachus in turrim templi adscende rit, atque adspexerit vespillonem, funus aliquod satis inhumaniter in cœmeterio quodam Thorunensi, satis longe à Monasterio dissito, sepelientem; quo adpectu sibi prius per phantasie pavidæ operationem pestem contraxerit, atque deindè toti Monasterio communicaverit. Nolumus iudicium ferre de bono Monacho, qui nostro iudicio jam subtra-
tus est. Verum si absque applicatione ad individuum quod-
dam causa infecti Monachi & Monasterii, in simili exemplò
quæ.

47

quærenda sit, nescio; quare ista phantasia potius, quam DEI operatio foret statuenda, cum longè credibilis sit, DEUM temerarie curiosum Monachum, & forsan luxuriosum Monasterium, hoc modo redarguere πολυπραγμοσύνης, & Biblia potius, vitamque propriam, quam alienum cœmeterium inspicere, Monachos iubere voluisse. At! alia quamplurima dantur exempla eorum, qui audientes strepitum currus feralis, vel funus videntes, statim peste correpti sunt. Resp. Verum sane hoc: verum, quid exinde pro naturali phantasiæ operatione sequitur? Si hoc, quod virtute phantasiæ venenum ex corporibus demortuorum in aliud vivum, audiens vel videns, sit translatum: Eadem consequentia concludam, quod si duodecim fures in patibulo sint suspendendi, undecim adspicientes, quid antecessori accidat, ope phantasiæ etiam in eundem, cum primo, statum elevari, nec multum considerandam esse, vel iudicis sententiam, vel licitorum aut carnificis operam. Si regeritur; in suppliciis ejusmodi hominum labores videri, in peste autem non item operationes DEI & Angelorum: Repono; nec cæcus videt opera carnificis, nec Sadducæus cæco cæcior, & trunco stupidior, opera bonorum malorumque Angelorum. Hinc utriusque idem jus est, in mendaci phantasia tot sibi fingere phœnomena de interemtis per phantasiam in patibulo, quam in peste; præcipue cum operationes phantasiæ non magis oculis corporis perspiciantur, quam operationes Angelorum.

§. XVII.

Eodem modo iudicio divino recte vindicantur cetera quoque, quæ soli contagio, causisque naturalibus, sine magno directionis divinæ respectu adscribuntur. Univerſa familia periit, vix uno vel duobus conservatis. Periit quoque familia Jeroboami 1, Reg. 14. v. 10. seq.; periit familia Ahab 2. Reg.

2. Reg. 9. v. 7. seq ; periere unâ nocte centum & octoginta, quinque millia Assyriorum 2. Reg. 19. v. 35. ; num ideò contagione periere? Cum autem ira divina familiæ integræ abripiantur ex hac vitâ, quid impedit, quo minus credamus, ex amore etiam divino præservari à malis familias piorum per beatam mortem? Conf. Esa. 56. v. 13. Nimis sane absonum à fide Christiana videtur, vitam mortemque hominum adscribere causis mere naturalibus, homine longè inferioribus, vel DEum iis adjungere quasi spectatorem solummodo otiosum, sine insigni vel directione, vel operatione.

§. XVIII.

Pergis: Infecti quoque sunt multi eorum, qui domum intrarunt. Resp. Si multi, & non omnes, quis istud statuit discriminis? Dispositio, inquis, corporis vel prava vel bona. Verum, num ejusdem temperamenti fuere omnes, qui mortui sunt? ejusdem, qui in vita conservati sunt? Contra experientiam disputas & Diemerbroeckii & aliorum. Longe mihi probabilius videtur, quod DEus alios quidem socios scelerum, socios quoque velit & faciat poenæ; alios verò, qui vitam dedere victimam pro salute proximorum, in statu hoc beatissimo animæ ex hac miseriarum valle ex mera clementia evocet; contra eadem suâ liberrimâ dispensatione, alios in vita conservet. Imperscrutabilia enim sunt DEI judicia, & impervestigabiles omnes viæ ejus, Rom. 11. v. 33.

§. XIX.

Quod si ad eorum exempla respicimus, qui per merces, linteamina, vel suppellectilia domestica infecti dicuntur; plerosque deprehendemus vel fures, qui supplicium cum furto abstulerunt, vel avaros hæredes bonorum & malorum, vel inhiantes turpi lucro, & mortem cum mercibus ementes. Stipes autem est, qui in ejusmodi exemplis non ob-

ob-

observat eandem vindicem DEi manum, quæ pallium Achannis secuta est Jos. 7. Quæ vero exempla sunt, in quibus vestigia divinæ directionis tam manifesta non cognoscimus, ea nihil tamen probant in contrarium, quia rarissime nobis innotescunt omnes circumstantiæ, omniscientiæ divinæ satis notæ.

§. XX.

Addam exemplum, quod, cum de ejus certitudine mihi pluribusque aliis satis constet, exemplo potest esse delitescentis sæpè judicii divini, in casibus non satis cognitis ratione circumstantiarum, ad rem dijudicandam apprimè necessaria-
rum. Figulus fuit in novissimâ peste in urbe hujus regionis valde infecta, cui asseres quidam erant quercini in stabulo reconditi. Arridebant isti vicino fabro lignario, sine pretio istos emere desideranti. Contigit, ut vocaretur figulus in agrum ad exstruendam fornacem: unde domus clausa credebatur infecta, hominesque ægrotantes. Hâc occasione arrepta, adscivit faber lignarius sibi socium criminis, quocum asseres vicini figuli abstulit. Non ullus hominum furtum resciscebat: verum, qui peccata alia regionis peste punivit, hoc furtum impunitum nolebat. Hinc non potuit faber & fur lignarius in usum vertere asseres ablatos, quin peste & corripereetur & abriperetur. Sequebantur patrem familias, quotquot in domo erant, ad unum omnes. Post hos tangebatur ordo criminis socium, qui autem, agnitâ divinâ justitiâ, ad figulum, jam tum reducem, nescium tamen adhuc, quæ sibi suisque asseribus acciderant, nuncium mittebat, qui facta narraret, & suo nomine diceret, se agnoscere vindictam in se divinam, nec ullam sperare salutem, nisi per preces figuli, pro se fure ad DEum fundendas; quod si vero has à figulo impetrare posset, certum se esse, fore, ut brevi convalesce-

G

ret,

ret, quo facto ablato afferes se restitutum per nuncium promittebat. Memor figulus mandati Salvatoris Matth. 18. v. 35. renunciari curabat, quod Christianum decebat. Ægrotus autem sine ullo adhibito medicamento ad reditum nuncii convalescebat, ut postero die promissum, de ablato restituendo, servare potuerit. Nec homo in ipsius domicilio ullus vel peste vel morbo affligebatur. Si in aliis casibus, simili modo, omnes circumstantiæ nobis innotescerent, certus sum, eadem nos divinæ directionis vestigia fore reperturos, quamvis non semper iræ & justitiæ, sed etiam clementiæ ac misericordiæ divinæ.

DUBIUM III.

An DEUS venenum pestilentielle in primæva creatione jam produxerit, an de novo, tempore pestilentiali, generet?

§. I.

Ansam hujus dubii præbuit nobis excellentissimus Diemerbrokiius, qui Lib. 1. de Peste, cap. 8. annot. 1. probl. 1. hanc materiam satis docte disquisivit, adjecitque tum autores, tum rationes, militantes pro thesi de creatione veneni pestilentialis cum aliis creaturis, à DEO in principio creatis. Quibus tamen ipse contradicit, defendens, venenum istud à DEO de novo in pœnam peccatorum generari.

§. II.

Nos, media incedentes via, neutrum penitus rejicimus, neutrum in totum approbamus, distinguentes inter illud, quod in se, per se, suæque natura, omnibus, omni modo & omni

51

omni tempore venenum est; & illud, quod per accidens, in
abuso, in loco vel subiecto non competenti, vel injusta dosi,
vel alio modo venenum evadit, aut est.

§. III.

Priori ratione nullum venenum verum statuimus, nisi
unicum peccatum, neque credimus, DEum tale aliquod ve-
nenum unquam creasse, vel creaturum. *Erant enim omnia*
opera ejus valde bona Gen. I. 31. Hinc recte negat Autor libri
Sapientiae cap. I. v. 14. *Φάρμακον ἐλέθερ, pharmacum exitiale*
esse in creaturis, quatenus à DEO creatæ sunt. A patre et-
iam lucis nulla expectanda sunt dona, nisi bona, & quidem
perfecta, i. e. perfecte bona Jacob. I. v. 17. Unde de plurimis
venenis nobis constat, quod certo modo, tempore, dosi, aut
creaturis applicata, non solum nihil noceant, sed sapissime
etiam saluberrimò sint medicamento. Non prolixus ero in
enumerandis iis, quæ jure Medicis committere possum, sed
ad unicum provoco arsenicum, quod non solummodo, ce-
leberrimorum Medicorum quorundam suffragio, in febribus
ardentibus, in dosi convenienti, & additis corrigentibus, salu-
tiferum habetur, sed saltem à multis optimum amuletum in
ipsa pestilentia creditur.

§. IV.

Contra, posteriori ratione, nulla est creatura, quæ non
alicui alii, saltem aliquo modo, posset esse aut fieri vene-
num. Lubens mitto medicamenta ista numerosa, & vinum
solummodo nomino, quod, cum in justa & conveniente
dosi optimum sit medicamentum, simul & optimus potus,
furiosissimum simul est venenum, mentis simul & corporis
valetudine privans eos, qui nimium ingurgitant. Quid?
quod ipse DEus mortis dicitur venenum, & inferni pesti-
lencia.

G 2

§. V.

§. V.

Hinc non necessum ducimus, ut aliquod oppositorum Dn. Diemberbrokii eligamus, cum tertium detur probabilius, sc. quod DEus neque in prima creatione, neque unquam aliquod in se nocivum creaverit, aut creet unquam, sed quod omnis malignitas creaturarum oriatur à peccatò, quando sc. eadem ipsa creatura, quæ eorum gratia, qui DEo confidunt, remittitur ad beneficentiam, intenditur contra improbos in pœnas. Sap. 16. v. 24. Unde observamus, per easdem creaturas & tempestates diversa operari DEum, & sæpissimè contraria. Certissime idem frigus creditur causa intermedia pestilentia nostræ regionis, quod Thoruni, Hohensteinii, aliisque in locis finem imposuisse pestilentia perhibetur. Undè rectè inferri posse, credimus, nullam DEi creaturam ullo modo esse nocivam, nisi vel in abusu peccaminoso, vel ex ordinatione judiciaria DEi; & per consequens, eandem pestis & veneni, quod dicitur, pestilentialis esse rationem.

DUBIUM IV.

An ex influxu errantium fixarumque stellarum pestis oriatur, augeatur, minuat, atque hinc ex ipsarum vario adpectu rectè & tuto quis de peste divinare queat?

§ I.

Athanasius Kircherus in Scrutinio Physico-Medico Pestis, Sect. 1. cap. II. optime scribit: *Astrologorum vulgus, ignarum plerumque genus hominum, cum omnia astrorum, varia se configuratione respicientium, influxibus, & miris horoscopantium siderum effectibus attribuant, aded fucate hujus scientiæ colore superbiunt, ut iis nihil in divinandi scientia denegatum esse videatur;*
unde

unde nihil adeò in hac rerum humanarum catastasi exoticum, insolens & inexpectatum est, quod illi fatali cuidam siderum necessitati non subjiciant, audacia sane tanto periculofiori, quanto indoctiores, rerumq; physicarum ut plurimum expertiores sunt. --- Nihil igitur Astrologi concludunt, dum ex certis siderum constitutionibus futura pestis contagia inscitius divinant. Interim pergit: Nos itaq; incongrua ista divinandi ratione neglecta, tam abditas effectuum causas paulò aliter evolvere cœpimus; & cur nunc in hac parte terræ, modo in alia, jam in plerisque, uti historie narrant contigisse, contagio dominetur, & quomodo hæc in sideribus remote originis sue primordia deducat &c. Cui proposito satisfactorius, varia narrat de varietate atque virtute siderum, tam in producenda, quam impedienda peste, neq; indoctè; præcipue si conferas, quæ in Itinerario Exstatico prolixius de hac materiâ differuit.

§. II.

Contra ea Experientissimus Diemerbrokiius influxum stellarum, à Kircherò defensum, rejicit, cum tamen easdem, ut signa futurorum, admittat. Postquam enim enarravit nomina & rationes defendentium influxum stellarum, loco supra citato, Probl. 2. pergit: Nonne munitissima, & inexpugnabilia videntur omnia hæc argumenta? & tamen illa omnia, quantumvis valida, & gravissimorum virorum autoritate munita, facili negotio ab ipsa sacra Scriptura evertuntur, quæ docet Gen. c. 1., stellas creatas esse in signa & tempora, & dies & annos: non vero in malorum & mortis causas. Profecto in paganismum (inquit Joh. ab Helmont.) impinget, quicumq; stellarum officia ac destinationes supra textum sacrum extendere audebit: nam Ps 148. DEUS dicitur præceptum posuisse cælo, quod non præteribit. A transgressu Adami nulla maledictio vel labes cælo infusa legitur, sicut terræ, quæ spinas & tribulos profert, & propter peccatum

mortis feudum remansit. Cæli enarrant gloriam DEi, & opera manuum DEi annunciat firmamentum. Cæli ergo futura annunciant, non causantur, nec venenosos morbos, nec bella inducunt. Per motum suum naturalem vicissitudines temporum faciunt, sed nihil mali generant. Liber Apocalypseos etiam nullam vim punitivam cælis attribuit, sed eandem Angelis adscribit. Cum itaque cæli non sint ordinati à summò DEò ad plagarum illationem, & per consequens etiam non contineant mortem, bella, venena, pestem, non poterunt quoque hujusmodi plagas super nos effundere: nam dare nequeunt, quod non habent, nec continent, nec causantur, nec generant: non enim nuncius, bellorum praco, eorum causa est.

§. III.

Nos cum utroque facimus contra utrumque, cum Diemerbrokio negantes influxum stellarum, à Kircherò defensum, & cum Kircherò rejicientes divinationem astrologicam, à Diemerbrokio concessam. Quod enim ad Astrologiam divinatoriam attinet, nostro quidem iudicio, maxima ex parte superstruitur influxui & operationi stellarum in corporibus sublunaribus; unde, hac everfa, sua ipsius infirmitate labascere videtur. Dicta enim Biblica, quæ vel à Diemerbrokio, vel Helmontio adducuntur pro Astrologia divinatoria, non illud volunt, quod ex iis elicitur. Gen. i. v. 14. dicitur quidem, Luminaria esse à DEO constituta in signa, & tempora, & dies & annos; non autem additur, quod sint in signa futurorum contingentium, sed tum invisibilis DEi omnipotentia, tum temporum, dierum & annorum. Quando verò cæli dicuntur *narrare gloriam DEi* Ps. 19. v. 1., non sane dicuntur narrare omnia consilia & decreta divina de rebus humanis: sed explicatio horum verborum rectè depromitur ex Rom. I. v. 20. Unde futurorum prædictio soli DEO in fa-

cris

cris literis vindicatur, ita ut Melech, vel Regina, vel Exercitui coelorum, dictum quoque rectè credamus, quod omnibus idolis Israëlitarum dicitur Es. 41. v. 22, 23. *Proponant & indicent nobis ea, quæ obventura sunt: priora quænam sunt, indicate, ut apponamus animum nostrum, & cognoscamus finem eorum; aut eventura pronunciate nobis. Indicate, quæ eventura sunt in posterum, ut cognoscamus vos esse Deos.* Certè, si Camarim, Astrologique ejus temporis 2. Reg. 23. 5. certi quidquam prædicere potuissent, non neglexissent occasionem evincendi Melech suæ divinitatem. Circa finem seculi præterlapso Professor quidam Mathematicum satis celebris edebat Thema Genethliacum Regis Galliæ, in quo demonstrare conabatur, Regem Galliæ anno (ni fallor, quoniam non amplius ad manus est) 1697. esse moriturum, & quidem morte tam misera atque infami, qualis à nemine de Rege aut Principe concipi posset, promittebatque, se publicè esse confessurum, nullam scientiæ astrologicæ fidem esse habendam, si prædicta non evenirent, addita ratione, quia tantus omnium siderum consensus in hanc mortem observaretur, quantus rarissimè observari solet. Num promisso steterit, vanitatemque artis vanissimæ professus fuerit, equidem non satis scio: quod autem argumentum non contemnendum contra astrologicas divinationes suppeditaverit, in aprico est. Sed non opus est, ut ad unicum hoc fallacis astrologiæ exemplum refugiamus, cum millena sint.

§. IV.

Influxum si respicimus stellarum, doctissimus Kircherus Scrut. Pestis Sect. I. cap. II. scribit: *Non Aristotelis tantum, sed & omnium scholarum consensu acceptatum dogma nullo non tempore fuit, inferiora supernis subflare; ex caelestium influxuum rationibus omnium inferiorum vitam, mortem, generationem &*
cor.

corruptionem pendere. Quibus generalioribus post paucula interjecta pag seq. addit de origine Pestis in specie. Irrefragabili enim multorum seculorum experientia ab omnibus Astronomis observatum fuit, nescio quid virulente virtutis in Marte, frigiditatisque oppido nocivæ in Saturno, sub certo situ, dum ille aestu suobilem in inferiori mundo, ceterasque qualitates perniciosas, hic humorem frigidum & atram bilem mirum in modum concitet; Luna vero & Sol, hic in omnia, vitæ & economiam concernentia, illa, in humidi fecundioris substantiam, utraque suas exerceat jurisdictiones, reliquis planetis, cum bonis bonam, cum malis malam temperiem in rebus sibi subiectis inducentibus. - - - Cause itaque remotæ malignorum influxuum sunt stelle Martiæ & Saturninæ indolis, quæ opportunum situm nactæ, radiorum effluviis obvivium primo aerem fuligine sua tinctum virtute sibi propria inquinant; Hic tinctus inquinatusque eam aquæ communicat; elementum aqueum, Luna Solisque virtute agitatam, conceptæ astræ sementis nocivam & spuriam tincturam per terræ poros disseminat, ubi aliarum quisquiliarum, ad putredinem proclivium, syngenia miscella junctæ, illos, quos diximus, pestiferos exhalatione sua morbos parit. Cum vero huiusmodi astræa sementis pestifera, terræ visceribus insinuata, non ubique terrarum semper aut materiam proportionatam, aut rerum sibi congruarum conjugia ambiat; hinc quoque in nonnullis locis, aut nulla prorsus pestis, aut raro, in quibusdam vero semper, pro natura sc. loci, cum influxu astræo symbolizante aut non symbolizante. Atque ex hoc posito principio, omnes pestis cause partiales, supra memoratæ, concurrunt; & tamen si malignus hic astræus spiritus, ratione aeris, aquæ & terræ diversus sit, unus tamen & idem in se spiritus est, qui tingit tum aerem, tum aquam, tum terrestrium exhalationum indolem, unus & idem omnia inficit, coinquinat, & ad pestiferæ contagionis genesin, per fructus, cibos, nutrimentumque, tum hominum,

minum, tum animalium, qui vel terra, vel aere vitam sustinent, disponit. -- Quoniam vero Spiritus astræus malignus, rerum elementarium disparata natura miscetur; hinc fit, ut & pestem non ejusdem semper speciei comperiamus, sed pro varia miscellæarum rerum, quibus jungitur; unde spiritus astræus arsenicis halitibus mixtus, alios veneni pestiferi effectus, alios mercurialibus, alios salinis, alios antimonialibus & sulphureis; alios bituminosis naphthæisque vaporibus mixtus producit &c.

§. V.

Nihil esset, quod desiderarem in artificiosissima hac pestis pictura, dummodo ingeniosissimus Autor, in insigni Chronologia pestium, quam operi annexit, enarrata hæc in singulis pestibus demonstrasset, docuissetque, quænam cuique pesti constellationes antecesserint, quænam effluvia vel Martis vel Saturni, & quorum Planetarum adjumento, singulas pestes produxerint, quorum Planetarum vel Astrorum concurrente influxu singulæ pestes vel vehementiores, vel leviores sint redditæ, quænam semper fuerit uniuscujusque loci cum singulis pestibus vel symbolizans, vel non symbolizans natura. Hæc si prius elaborasset, potuisset quoque facili negotio addere, quænam pestes unicuique regioni adhuc instarent futuræ, quo eo facilius præveniri iisdem posset. Constellationes enim non solum præteritæ, sed etiam futuræ, eadem certitudine sunt cognitæ; & uniuscujusque regionis indoles non potuit quoque non cognita esse Autori, cujus magna scientia non orbis œcumenici notitia fuit contenta, sed mundum quoque subterraneum multo labore descripsit, corporaq; cœlestia itinere ecstático visitavit, & in suo Itinerario delineavit.

§. VI.

Confido autem, excellentissimum Autorem majori hoc
H stu-

studio elaboraturum fuisse, quam in Guidone observavit Diemerbrokii Lib. I. cap. 8. annot. I. probl. 2. *Flocci*, inqviens, *faciendæ sunt historia, ab experientia de harum conjunctionum effectibus annotata; quam frivola enim sint & distorta, vel sola Gvidonis historia, antea citata, satis docet.* Nam ille describit pestem furiosissimam, qualis vix unquam seior grassata fuit, hancque dicit incepisse mense Januar. anni 1348., & causatam fuisse ex conjunctione Saturni, Jovis & Martis, quam conjunctionem, ait, factam fuisse anno 1340. die 24. mens. Martii. Ecce, quam egregie causam illius pestis conjunctioni horum planetarum adscribit, quæ totis ferè octo annis antea facta fuerat, & per exiguum tantum temporis duraverat: quis non videat, absurdissimum esse, credere, conjunctiones astrorum minimo tempore durantes, post tot annorum intervallum operationes suas primo edere, & tanto temporis interstitio nullum malignum signum præmittere. Sanè, si tres hos planetas Veneri junctos observasset, trium patrum proles tamdiu in utero ab ipsa gesta fuisse tanta certitudine credi posset, quanta Veterum de Martis & Veneris concubitu fabulæ. Quoniam autem hæc abfuit hac vice, alia loca querenda erunt, in quibus effluvia ista trium genitorum tamdiu commorata sunt; quæ tamen necessario debent esse talia, ut, si altera vice necessum fuerit statuere, istorum Planetarum effluvia, ni uno momento, certe uno die, de cœlo in terram descendisse, simul vehiculi loco inserviisse credi possint.

§. VII.

Petrus Gregorius Tholosanus de Republica Lib. 21. cap. 6. de Fato Regnorum ex mathematicis & cœlestibus causis & cometis, cap. 7. de Fatis Regnorum & Principatuum ex Solis & Lunæ eclipsibus, tot narrat historiolas de cœlestium corporum effectibus circa rerum publicarum mutationes, ut dubitari jure possit, num tantæ doctrinæ vir à se dictis, præjudiciis

ciis occupatus, ipse fidem adhibuerit, aut iisdem Astrologorum nœnias illudere intenderit. Mittam alia, atque solummodò allegabo, quæ cap. 7. §. 16. de peste post Eclipsin solis narrat. Anno Domini 605. die quinta Maji eclipsis Solis facta est, moxque subsequuta est gravissima pestis tribus mensibus, Julio, Augusto & Septembri: tunc visibiliter multis apparuit, quod bonus & malus Angelus per civitatem pergerent, ut ex jussu boni Angeli, malus Angelus, qui videbatur manu venabulum ferre, quoties venabulo ostium cujuscunque domus percussisset, tot de eadem domo sequenti die interirent. Fuerunt postea duo Reges mortui, Heribertus & Grymaldus. Rebellarunt Vascanes in Gallia. Agatho Papa decessit. Hunni & Bulgari inter se praelia crudelia gesserunt. Saraceni in Africam cum ingenti multitudine transierunt, Carthaginem ceperunt, & depopulati sunt. Eheu! si tanta mala ex unica Solis eclipsi profluxere, mirum, quod non mundus interierit dudum per annuas, quas semper habuit, eclipses. Verum, quod Sol non potuit, venabulum forsân Diaboli effecit.

§. VIII.

Interim non possumus nobis persuadere, quod quidquam venenosi, aut pestilentialis ex astris ad nos perveniat. Et quidem primo, quia in omnibus sidereorum, tam circa laborationes chymicas, quam circa alias res humanas, influxuum deprædicationibus nullum potuimus reperire argumentum, evincens, quod corpora terrestria aliquid vel commodi, vel damni patiantur ex corporibus cœlestibus, præterquam, quod ex Sole & Luna lumen & calorem, ex micantibus autem stellis parvulas lucis scintillulas nocte tenebrosa, hauriant. Quia autem fieri potuit, ut rem, ad nostram Professionem proprie non spectantem, atque hinc summa diligentia non indagatam, sed obiter solummodo de-

lectationis gratia tractatam, non observaverimus, rogamus unumquemque quam amicissimè, ut, si cui vel argumentum vel experimentum sit, ex quo firmiter demonstrari possit operatio siderum coelestium in corporibus humanis, aliisque hujus orbis, velit benigne nobiscum communicare. Promittimus etiam, nos non grato solummodo, sed nullo etiam præjudicio occupato, animo esse accepturos, &, si ad quædam officia mutui simus idonei, ea prompto promptissimoque animo esse exhibituros. Provocationes quidem Autorum ad Autores, ad consensum Scholarum & Philosophorum, ad historias dubias, aut ad arcana, nunquam detecta, satis nobis sunt cognitæ; non autem contigit nobis, esse tam felices, ut fundamentum aliquod solidum atque firmum reperiremus, quod non superstructum esset alii arenoso atque dubio, aut ex meris præjudiciis constanti. Dominus D. Wiel in der wolgemeinten Nachricht von der Thornischen Pestilenz argumentum quidem petit à celeritate operationis veneni pestilentialis, dicens: Woraus ich nachgehends geschlossen/ daß dieses fermentum astralischer / und fast feurriger Art seyn müste/weil es in einem Augenblick den ganzen Leib durchdringe / die spiritus vitales, und das ganze Geblüt verderbe. Verum, quoniam longe major apud nos autoritas est Sacrae Scripturae, quam Chaldaeorum, Angelicam potius judico, quam astralem, ejusmodi operationem.

§. IX.

Secundo: Quia omnia opera DEI valde bona sunt creata, nullaque maledictio ex peccato corpora coelestia tetigit, quippe quæ imperio Adami subjecta non leguntur: neque in Marte, neque in Saturno, neque in quodam alio astro quicquam maligni aut venenosi præsumimus, unde quoque nullos

61

Ios mali effluxus ex iis, vel influxus in corpora terrestria concipere possumus.

§. X.

Tertio: Quia Physicæ quoque rationes contrariantur: Cum enim Planetæ, aliæque stellæ, universo terrarum orbi, vel saltem dimidiæ ejusdem parti fermè æqualiter splendent, influxus quoque ex iis pestiferus, vel in orbem, vel saltem dimidiam ejus partem erit vel æqualis, vel saltem proportionatus, secundum proportionem splendoris. Unde sequeretur, pestem, si eam stellarum influxus causarentur, necessario per omnes eas regiones terræ, quibus istæ stellæ (ni semper, certe in debito ad pestem producendam situ) splendent, vel simul, vel exigui temporis successu grassari; siquidem eadem via, qua splendor, etiam influxus pestiferus in terram derivari posset. Quoniam autem hac de re experientia expresse contrarium docet, nihil de influxu adeò inæquali credimus. Refugiunt quidem ejus defensores ad fomitem, quem dicunt, necessarium ad recipiendos istos influxus, & quo absente, locum non invenit venenosa scintilla: verum refugium etiam credimus, sed inane, quæmdiu non explicant, quem fomitem uniuscujusque astri influxus requirat, ejusdemque præsentiam in locis infectis, & absentiam in locis aliis, sufficienter demonstrant.

DUBIUM V.

An Pestis sit morbus pauperum?

§. I.

Eo nomine pestem antiquitus fuisse insignitam, refert excellentissimus Autor des fürstlichen und gründlichen
H 3 Unter:

Unterrichts / wie bey denen anitho grassirenden Seuchen
 ein jeglicher sein eigen Medicus seyn könne / pag. 7. sequen-
 tem in modum scribens: Wenn man die Wahrheit bekän-
 nen soll / so haben sich diejenigen / welche sich mit gnugsä-
 men Lebens Mitteln versehen / räumlich wohnen / so sie
 anders Mäßigkeit halten / ein Glas guten Wein trincken /
 und sich nicht fürchten für der Pestilentialischen Seuche /
 leichte nichts zu befahren. Denn die Pest eine Krank-
 heit nicht der Reichen / sondern der Armen ist / welche auch
 die Alten Morbum pauperum genennet / deren Körper we-
 gen Mangel und Noth / Unreinigkeit / und daß sie in en-
 gen / niedrigen und dämpffigen Gemächern wohnen / vor
 sich gar leicht eine Fäulniß zu fassen und fortzusehen capa-
 bel sind.

§. II.

Idem docet Christophorus Helwigius D. & Prof. Med.
 Gryphiswald. in Consilio Medico de Peste pag. 35. Also leh-
 ret die Erfahrung / daß es gemeiniglich über die Armuth
 und gemeine Leute hergehet. Von der Vicentiner Pest
 bezeuget es MASSARIAS, p. 502.; Von der zu Delft / FO-
 REST. p. 52.; Von der Genffer / SARACEN. p. 504.; Von
 der letzten Leipziger / die frische Erfahrung. Ursache ist /
quia habent ob sordes cum peste symbolum, JOUBERT. p. 284.
 Non opus est autem, ut ad peregrina provocemus exem-
 pla, cum illa quoque, quæ nuper nostram Prussiam va-
 stavit, pestilantia, maximâ ex parte egenos absum-
 serit.

§. III.

Nec dissentire ab eo videtur ipsa sacra Scriptura. Quo-
 niam

niam enim in peste, quæ Davidis tempore contigit, 2. Sam. 24. v. 17. observatur oppositio gregis, qui peste abripiebatur, & domus patris Davidis; non improbable est, eandem quoque pestem non multos principum, cognatorumque Davidis abripuisse, sed potius in plebe grassatam esse. Adhæc neque in cladibus Ægyptiorum, Exod. 9. 10. 11. Pharaon; neque in ista Assyriorum 2. Reg. 19. v. 35. Sanherib peribat. Item Jerem. 21. v. 6. dicit DEus: *Percussurus sum habitatores civitatis hujus, tum homines tum jumenta: peste magna morientur.* Vers. 7. autem pergit: *Postea autem tradam Zedekiam Regem Jehuda, servosque ejus & populum ipsum, id est, qui residui fuerint in civitate hac à peste, à gladio & à fame, in manum Nebucadnezaris.* Quibus vaticinii verbis Regi & ministris ejus quasi promittitur, saltem de iis certò pronuntiatur, quod residui forent futuri à peste instanti.

§. IV.

Neque hoc absolum est, vel ab amore, vel à justitiâ divinâ. Amorem enim si consideramus ergà inopes pios, apprime ipsi conveniens est, ut ante ingruentia majora supplicia suos eximat ex hac miseriarum valle, eosque liberet ab injuriis, à ditioribus plerumque sustinendis. Ad justitiam verò si respicimus, convenit utique ex regula vulgata, ut luant in corpore, qui non habent in ære. Præcipue cum impiorum pauperum plurimi sua vel prodigalitate, vel pigritia, sibi ipsis sæpissime & pauperiem, & ignominiam contraxerint, ut in quamplurimis nec genus supplicii excogitari possit, nisi corporis. Impios vero divites si spectamus, non eos deprehendimus exemptos ab omni suppliciorum divino genere, sed in peste ad majus aliquod malum conservatos & reservatos, uti expresse testantur dicta Jerem. 21. v. 6. 7.

Heseck.

Heseck. 7. v. 15. seq. aliaque, adeo, ut tantum absit, ut ditioribus exinde privilegium oriatur contra iram DEI, quod non semper una cum pauperibus peste abripiantur, ut potius ipsorum conservatio ipsis impoenitentibus in testimonium sit, DEum tarditatem poenae mox gravitate esse compensaturum, idque aliquo supplicii genere, quod ipsorum fastum, luxuriam, avaritiam, atque in pauperes injuriam, modo ipsis magis sensibili, & per tempus longius duraturo, infringat. Id quod tum in Pharaone, tum Sanheribe, & Zedekia observamus.

§. V.

Interim divitibus ex omnibus hisce nullam contra pestem privilegium fingendum est. Nam, ut taceam de Histia El. 38., de quo forsan in dubium vocari posset, num ulcus fuerit pestilentielle, necne? addam, quae supra laudatus Helwigius l. c. adjungit; *Ja es schonet auch die Pest der Reichen/von Adel/und grosser Herren Ballaste nicht. Wie von solchen Pesten des Adels können nachgelesen werden* AIMON. V. de Peste Francor. 16. AUGEN. I. 2. JOAN. MORELUS de Febr. pestil c. 3. LIVIUS III. 9. *Affecti pleriq. principum.* PLINIUS VII. 50. An. 1669. ist es zu Leiden in Holland mehr über die Reichen/ als Armen ergangen.

§. VI

Josephus Antiqv. Judaic. Lib. 15. cap. 11. scribit: *Sic affecto (Herodi) supervenit pestilentia, quae & plebis & purpuratorum majorem partem abstulit.* Gottfrid. in Chron. p. 649. refert, nobilissimum Bohemorum Promachum Ziscam pestilentiam mortuum esse. p. 604. Guidonem Comitem Namurcensem cum multis aliis peste correptum obiisse. Principes peste mortuos in Chronico nominat p. 426. Dietericum fili-

um

um Regis Britannia, p. 485. Episcopum Trevirensen, item
 Ducem Lotharingae cum multis aliis primatibus. p. 507.
 Hermannum Ducem Sveviae, privignum Imperatoris
 Conradi, cum multis fortissimis viris. p. 543. sequentia,
 und herrlicher Success Rainers Friederichs heftlich ver-
 fallen. Denn die Pestilenz kam unter das Krieges-
 Volck/ daß in kurzer Zeit in die 2000./ und darunter viel
 herrlicher Männer dahin starben. Erz. Bischoff
 Reinholden von Eßlin/ und Herzog Friederichen von
 Schwaben/ befreyet ihr hoher Stand und Adel nicht.
 Sie mußten auch mit an den Todes Tanz. Verum,
 nec Reges ipsi exempti sunt peste. Hinc idem p. 579. Rö-
 nig Ludwig lag damals selbst an der Pestilenz/ aber
 der Sultan ließ ihn fleißig curiren/ biß zuletzt der Rö-
 nig auf diese Weise ledig ward. p. 598. Es kam eine
 Pestilenz unter sein Volck/ daran nicht allein etliche
 tausend Frankosen/ sondern Er/ der König selbst/
 (Philippus audax) starb zu Perpignan. p. 616. Anno 1350.
 starb König Alphonfus der XI. an der Pest. Quid?
 quod nec Imperatores, qui neminem hominum agno-
 scunt parem, nec in hoc morbi & mortis genere plebi sint
 impares. Sic namque Gothofr. p. 359. Also ist Emili-
 anus zwar Kaiser geblieben/ aber seine Herrlichkeit län-
 ger nicht/ als drey Monath gedauret/ denn er an der
 Pestilenz gestorben. p. 362. Es hat Claudius sich die-
 ses Sieges nicht lange erfreuen können; dann Er
 balde nach der Gothischen Niederlage an der Pestil-
 enz gestorben. Dubito, num huc quoque referendus
 sit Constantinus Copronymus, de quo p. 450. Constan-
 tinus ward mit einem hitzigen Fieber und Geschwür/ so
 man

man Carbuncel nennet/ angegriffen/ daran er starb/
im Jahr Christi 775. Item: Andronicus, de quo pag. 613.
Da stieß den Kayser Andronicum etu Pestilentiſch Fie-
ber mit Haupt-Wehe an/ daran er nur vier Tage krank
lag/ und starb. Optima autem est descriptio mortis Im-
peratricis Barbaræ, viduæ Sigismundi, de qua pag. 651.
Es hat diese Barbara noch lange hernach gelebet/ aber
ist zulezt an der Pestilenz gestorben/ eine Pest an der
andern.

§. VII.

Inprimis vero hic observari meretur, quod in Eu-
feb. Hist. Eccl. Lib. 9. cap. 8. legimus: *Haud minus (scil.*
quam fames, de qua antea dictum fuerat) & pestis singulas
domos & etates depascebatur, præsertim eos absumens, quos fa-
mes propter copiam ciborum perdere nequibat. Igitur, qui opu-
lenterant, principes, præsides & innumeri è magistratibus tan-
quam ACCOMMODI PESTIFERO MORBO, quod à fame essent
intacti, acutam ac velocissimam mortem sustinuerunt.

§. VIII.

Ex his dictis liquet: dari utiq; pestem, quæ sit mor-
bus pauperum, sed dari quoque, quæ sit morbus divitum;
dari etiam, quæ tum pauperes, tum divites, nullo habito
discrimine, abripiat. Quoniam enim non merè naturalis,
sed supernaturalis præcipue morbus est, ea semper habet
subjecta, quæ ab arcanò DEi judiciò ipsi sunt constituta.
Unde notatu dignum, quod supra laudatus Helwigius in
Consilio Medico de Peste cap. 3. de differentiis observat:
sc. diversa plane subjecta diversis temporibus pesti fuisse
subjecta, ita, ut non solum vitæ genus inter divites & pau-
peres certis temporibus supra dicto modo discrimen posue-
rit, sed ut nulla ferè restet diversitas, qua homines distin-

67

Et sunt, per quam non pestis interdum à peste fuerit diversa. Undè quintam pestis differentiam depromit ab ætate, probans, quod quædam pestis fuerit adolescentum & infantum, in qua non multum laborarint seniores. Contra alio tempore sexagenarios & in extrema senectute constitutos à peste sublato fuisse. Sextam differentiam statuit sexus, quoniam alio tempore viri, alio fœminæ, alio juvenes, alio virgines, præcipuè peste vexatos fuisse probat. Nonam differentiam monstrat in natione, referens ex Cardano de Var. rer. VIII. 40. Basileæ solos Helvetios peste fuisse abreptos, advenas verò omnes ferè conservatos. Ex Utenhov. peregr. Eccl. Angl. c. 4. Hafniæ Danos periisse, advenas Anglos, Belgas, Germanos, immunes fuisse.

§. IX.

Interim non desunt rationes, quare Pestis magis pauperum, quam divitum morbus dicatur, & ex parte dici queat. Primo enim, quamvis unus vel alter dives in domo tempore pestis vel agrotet, vel moriatur, non ideo statim peste infecta creditur domus, sed vel variolis, vel dentium ægritudine, si infantes fuerint ægroti; vel febris ardenti, epilepsia, aut alio morbo, si majores fuerint, laborasse dicuntur: nequid curæ corporis, vel pompæ funeris decedat. Si vero pauper laboraverit, longe citius pestis observabuntur indicia, majusque periculum timebitur. Unde fieri forsân potest, ut in ejusmodi temporibus, de divitibus prædicetur, quod in pauperibus fuit, contra de pauperibus affirmetur, quod male negatum fuit de ditioribus. Secundo dubitandum, an pauperum plures tempore pestis ab hominibus, quam à peste, extingvantur, idque 1. Per defectum victus & medicamentorum sufficientium. 2. Per vespillonum injurias, &

I 2

nimis

nimis repentinas humationes. 3. Per excubias, pauperibus imprimis tum temporis sustinendas, per quas omnis aeris intemperies nocte dieque in ipsos derivatur, sub frequentissimo funerum, satis inhumaniter sæpe tractatorum, terrifico aspectu, ut, si quid causæ valent naturales, non possint non omnem suam virulentiam in hujusmodi hominibus exserere; præsertim cum DEUS non promiserit, se semper velle corrigere hominum in homines injurias, sed sapissime permittat, ut pereant, qui culpa hominum periculo exponuntur, à quo præservari possent. Quibus tamen verbis nullo modo taxatas volumus politicas ordinationes, ad nostrum forum non pertinentes. Sunt autem hæ, aliæque causæ, sapissime concurrentes, naturaliter satis sane sufficientes ad procurandam magnam plebis cladem, si vel maximè pestis abesset, nedum si causa una ab altera promovetur. Verum mittimus hæc, progredientes ad

DUBIUM VI.

An terror pestilentialis etiam cadat in verè fideles
& pios?

§. I.

Demonstravimus in Disputatione prima, pestis non tam Prodromum, quam primordium esse terrorem, divinitus hominibus immissum, quo præsentē cetera symptomata pro ordinatione divina, terroris mensura, & corporum conditione, necessario ductu sequuntur. Quoniam autem simul observavimus, peste non malos solummodo, sed optimos quoque interdum abripi; dubium oritur, num terror quoque iste in probos atque fideles cadere possit.

§. II.

§. II.

Pro negativa militat descripta conditio causæ efficientis, dum eam statuimus iratum hominibus DEUM. Quia autem in probos non cadit iracundia divina, nec in ipsos cadere posse effectum iracundiæ divinæ, admodum probabile est. Idque tanto magis, quia eum non statuimus naturalem & ordinarium effectum creaturarum, ob peccata maledictarū, sed supernaturalem & extraordinarium, ex speciali quodam judicio divino immissum. Quamvis enim pii ab ordinariis corruptæ naturæ effectibus ob communionem carnis peccaminosæ non sint immunes, immunes tamen esse videntur ab extraordinariis & supernaturalibus suppliciis, peccatoribus, κατ' ἐξοχήν sic dictis, à DEO immisiss, aut immittendis.

§. III.

Non minori probabilitate pro negativa pugnat conditio subiecti, quod, cum pium sit, incapax videtur alicuius terroris divini. *Justificati enim per fidem, pacem habent cum DEO per Dominum nostrum Iesum Christum, aditum fiduciæ, spem gloriæ, Rom. 5. v. 1. 2. In quorum vero cordibus regnat ista pax Coloss. 3. v. 15., eorum quoque animos & cogitationes in Christo custodit, Philipp. IV. 7., ne perturbentur vel terrore, vel cupiditatibus.*

§. IV.

Contra, affirmativam satis luculenter evincit experientia, testis omni exeeptione major, quod non peste solum, sed terrore etiam pestilentiali corripiantur vere pii atq; fideles. Circumspiciendum igitur erit, qua ratione ista ἐναντιοφάνειά πολλα possint conciliari, & pax divina in uno eodemq; subiecto cum terrore divino firma stare.

§. V.

Observamus igitur, in sacrâ Scriptura sæpius ejus-

modi contraria de regentis DEI filiis prædicari, ratione diversitatis exterioris & interioris, veteris & novi hominis, carnis & spiritus, vel animæ & spiritus. In hunc modum Christus loquitur Johan. 16. v. 33. *Hec, inquit, locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habebitis.* Paulus itidem 2. Cor. 4. v. 16. *Etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renovatur in dies.* Ibid. cap. 6. v. 10. *Ut tristes, semper tamen gaudentes: ut pauperes, sed multos ditantes: ut nihil habentes, sed omnia obtinentes.* Nil igitur impedit, quo minus statuamus; DEUM, vero in suos amore ductum, terrorem interdum pestilentialem exteriori immittere homini in perniciem carnis, quo interior homo renovetur eò magis, animaq; fidelis ab omni malo beata morte liberetur. Stare etiam cum hoc terrore in unò eòdemq; subiecto pax divina firma potest & immota, quia non tam spirituale, quam animale hominis afficit, eòdemque momento, quo natura sui destructionem perhorrescit, spiritus lætatur, quod liber à corpore mortis ad gloriam filiorum DEI sit evehendus.

Paucula hæc de dubiis circa pestem dubii scripsimus, præteritane, an præsentem, aut futuro tempore de ea nobis loquendum sit. DEUS clementissimus faxit, ut ira divina, peccataque dominantia hominum tandem fient præterita; ipsiusque gratia, & hominum, fides, vitæq; integritas semper præsentia & futura. Eximat quoque sua gratia omnium hominum mentibus omnia dubia, quibus dubii de vita instituenda hærentes, quotannis quidem poenitentiam & vitæ emendationem promittunt, quotidie autem agere recusant. Quo firmo in veritatis via talo omnes ambulemus, & certis de gratia divina nihil futurum timendum sit.

A M E N.



